



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum  
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

**Laymann, Paul**

**Dilingae, 1698**

Capitvlvm II. Sanè.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

Sanè 4. hoc tit. significatur. Deinde probatur ratione: vel Clericus in sacris contrahendo matrimonium, beneficijs ipso Jure privatus esset, ex ipsa natura facti, propter assumptionem status incompatibilis, adeoque tacitam renuntiationem; vel in pœnam criminis per aliquam constitutionem pœnalem? Neutrum horum dici potest. Non primum, quia, cum matrimonium irritum sit, verè non dicitur, eum assumere statum impossibilem cum beneficio, quare hic locus est regulæ receptæ, quod nullum est, nullum effectum producere potest, uti docent DD. in L. ii. se. 4. S. condemnatus ff. de re judicata, & reg. § 2. in 6. non præstat impedimentum, quod Jure non sortitur effectum, quæ ipsa etiam ratio est, cur nec Clericus in minoribus ipso Jure beneficia amittat, si matrimonium invalidè contrahat, ut si v. g. pubes nondum sit, vel consanguineam accipiat, quia revera non accipit statum incompatibilem cum beneficio, cum voluntas & conatus ejus non sortiantur effectum, sicut bene resolvit Sanch. cit. disp. 43. n. 3. Neque alterum dici potest, cum talis constitutio pœnalis in nostro casu lata non sit. Ad argumenta facilè responderetur. Ad primum dicitur, non satis esse, quòd aliquis velit assumere statum incompatibleem, si voluntas effectum non sortiat, quandoquidem mera voluntas, aut conatus inefficax, in ordine ad pœnas, aut impedimenta contrahenda, non reputatur pro facto, nisi id Jure expressum sit. Ad secundum. Responderetur, quòd lex pœnalis ob similitudinem rationis extendenda non sit ad casus diversos, nisi necessitas cogat, quia v. g. alioquin iniquitas jurium, contradictio, aliudve absurdum sequeretur, sicuti docui lib. I. tra. 4. c. 18. n. 9.

S. deinde.



Sanè.

PARAPHRASIS.

Mandat Alexander III. Erdfordensi Episcopo, ut provideat, ne in posterum Clerici Conjugati ad beneficia Ecclesiastica, factos Ordines, aut administrationes Ecclesiasticas admittantur, præterquam, si quis unicam, eamque virginem uxorem habeat, & castitatem perpetuam voveat.

SUMMARIUM.

1. Clericus conjugatus non est ordinandus, nec ad beneficium Ecclesiasticum admittendus, nisi certas condiciones observaverit.
2. Sed neque ad Ecclesiasticam administrationem est admittendus.

Norandum primò. Clericus Conjugatus non est ordinandus, nec ad beneficium Ecclesiasticum admittendus, nisi unicam, eamque Virginem, id est, ab alio non corruptam, uxorem duxerit, atque continentiam perpetuam voveat; dummodò etiam uxor, si in sæculo maneat, & extra incontinentiæ periculum constituta sit, eandem voverit parata sit, sicuti dicitur Tit. de conversione Conjugatorum, & docui lib. 5. tra. 10. p. 3. c. 7. n. 2. vide etiam cap. ult. de temporibus ordina. in 6. ubi idem decernitur de susceptione primæ Tonsturæ.

Norandum secundò. Clericus Conjugatus extra casum supra expressum nec ad Ecclesiasticam administrationem admittendus est. Consentit cap. in 6. ubi dicitur, quòd Clerici Conjugati, tamen si monogami sint, ac Virginem uxorem habeant, extra casus ibi recensitos, Clericorum Jucibus & privilegijs privati sint. Ex quo inferitur, quòd Clericus Conjugatus non possit esse generalis Episcopi Vicarius in spiritualibus, sicuti advertit

Abb. nor. 1.

CA-